MISSÆ DEFUNCTORUM

JUXTA USUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

CUM RUBRICIS, RITU CELEBRANDI, & ABSOLVENDI, ORDINE ITEM & CANONE EXTENSÆ.

Adjecta sunt in fine, Ordo Exequiarum, & Decreta quædam ad Celebrationem Missarum Defunctorum spectantia.

LEOPOLI

Typ. J. Filipowicz Sac: Regiæ Maje: S. & ReiPublicæ Typographi Priviliati.

ANNO DOMINI 1756.

RUBRICÆ GENERALES

DE MISSIS
DEFUNCTORUM.

PRimâ die cujusque mensis (: extra Adventum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impeditâ Officio Duplici, vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis. Si verò in ea fuerit Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita: & infra Hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit. in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis dicantur duæ Missæ, una pro Defunctis, alia de festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus nec Collegiatis, dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis.

Prætereà Feriâ secundâ cujusque Hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de feria, vel de festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut suprà, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale, & quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis (nisi in die Depositionis defuncti, & in Anniversario pro Defunctis) neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem privatæ pro Defunctis quocunque die dici possunt, præterquam in festis Duplicibus, & Dominicis diebus.

In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Anniversario Defuncti, dicitur una tantùm Oratio; & similiter in die Tertia, Septima, Trigesima, & quandocunque pro Defunctis solemniter celebratur: in aliis Missis plures, tres, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum.

Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & Depositionis defuncti, & quandocumque in Missa dicitur una tantùm Oratio: in aliis autē Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

In Missis Defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis & defunctis.

Missa Defunctorum privata, saltem post Matutinum & Laudes, quâcumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest: *Conventualis & solemnis autem dici debet post Primam diei: ubi verò dicuntur eorum Vigiliæ manè post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediatè dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum Missa Conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiam Depositionis defuncti, vel Tertio, Septimo,* Trigesimo, *aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.*

Circumstantes in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Evangelium.

In Missa solemni, in Choro genu flectunt omnes, etiam Prælati, ad Confessionem, *ad* Orationes *& dicto per Celebrantem,* Sanctus, *usque ad* Pax Domini, *& ad* Orationes *post* Communionem.

In Missa item solemni Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum sedere potest à cornu Epistolæ juxta Altare, cùm cantatur Kyrie eleyson: *similiter dum cantatur* Epistola, *&* Graduale *cum reliquis usque ad* Evangelium, *ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis relato ab Alcocet in suo Cæremoniali.*

In Choro non sedent, qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere, quando Celebrans sedet, & præterea dum cantantur Epistola, Graduale *cum reliquis usque ad* Evangelium, *& ab* Offertorio *usque ad* Præfationem, *& ad* Communionem.

In omnibus Missis Defunctorum Ecclesia Romana nigro utitur colore.

RI-

RITUS.
CELEBRANDI MISSAM PRO DEFUNCTIS.
Seu
De his, quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.

IN Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus. *Judica me Deus:* sed pronuntiatâ Antiphonâ, *Introibo ad Altare Dei,* & responso à ministro. *Ad Deum qui lætificat, &c.* dicitur ℣. *Adjutorium nostrum,* & *Confessio,* cum reliquis ut in ordine Missæ. Cum Celebrans ad Altare incipit *Introitum,* non signat se, sed manu dextrâ extensâ, facit signum Crucis super librum, quasi aliquē benedicens. Non dicitur *Gloria Patri,* sed post Psalmum repetitur, *Requiem æternam;* nec dicitur *Gloria in excelsis* nec *Allelujá,* nec *Iube domine benedicere,* nec *Dominus sit in corde meo;* nec osculatur librum: in fine, Non dicitur *Credo,* non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, *Deus qui humanæ substantiæ,* &c. Cùm lavat manus, in fine Psalmi, *Lavabo inter innocentes,* non dicitur, *Gloria Patri.* Ad *Agnus Dei,* non dicitur, *miserere nobis,* cujus loco dicitur, *dona eis requiem,* nec tertiò, *dona nobis pacem,* cujus loco dicitur, *dona eis requiem sempiternam,* nequè percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet, *Domine JESU Christe, qui dixisti Apostolis tuis,* &c. nec datur pax. In fine non dicitur, *Ite missa est,* nec *Benedicamus Domino, sed Requiescant in pace.* Et non datur benedictio; sed dicto *Placeat,* & osculato Altari, dicitur in cornu Evangelij Evangelium, *In principio erat Verbum,* &c. alia omnia ut in aliis Missis.

In Missa solemni non incensatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finitâ Epistolâ non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum, non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantùm Acolythi sine candelabris stant, unus à dextris, & alter à sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata & Altare incensantur ut in aliis Missis solemnibus: incensatur solus Celebrans; & non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem: sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cùm aliquid porrigunt Celebranti, in hâc Missa non osculantur ejus manum, neque rem quæ porrigitur.

Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam, & accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, & post Missam dū fit Absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finitâ Missâ ante Absolutionem.

Finitâ Missâ, si facienda est Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi exuitur Casula, & deposito Manipulo, accipit Pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis, defert Crucem sicut in Processionibus, præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum Thuribulo & navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ & aspersorio: sequitur Celebrans factâ priùs Altari reverentiâ, & Diaconus à sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria; Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare & tumulum, aliquantùm versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat, à sinistris ejus Diaconus, & propè eum alii duo Acolythi deferentes Thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur ℟. Libera me Domine, *& circa illius finem Celebrans ponit incensum in Thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculā: & finito* Kyrie eleyson *incipit intelligibili voce,* Pater noster, *& secretè prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, & factâ Altari reverentiâ, comitante eodem Diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem Pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aquâ benedictâ, ter à parte dextra, & ter à sinistra. Cùm transit ante Crucem, profundè inclinat, Diaconus verò genu flectit: posteà de manu ejusdem Diaconi accipit Thuribulum, & eodem modo, quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum junctis manibus dicit:*

℣. Et ne nos indúcas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli Tui *N.* ab omni vinculo delictórum: ut in resurrectiónis glória, inter sanctos & eléctos tuos resuscitátus respiret. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Celebrans faciens Crucem cum dextra super tumulum, dicit:

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine.
℟. Et lux perpètua lúceat ei

Et dicto per Cantores, Requiéscant in pace, *&* ℟. Amen. *Præcedente Cruce redit cum aliis ad Sacristiam.*

Si Officium fit pro pluribus Defunctis, omnia dicantur in numero plurali.

ORDO



Nihil coinquinatum introibit in regnum Dei. Ap. 21

ORDO MISSÆ PRO DEFUNCTIS

Sacerdos paratus cum ingreditur ad Altare, factâ illi debitâ reverentiâ, signat se signo Crucis à fronte ad pectus, & clara voce dicit.

IN nómine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. *Deinde junctis manibus ante pectus, incipit Antiphonam* Introibo ad Altàre DEI.

Ministri respondent,

Ad DEUM, qui lætificat juventutem meam. *Signat se dicens* ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram

Deinde junctis manibus, profunde inclinatus facit Confessionem.

COnfiteor DEO omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, Beàto Michaéli Archàngelo, Beàto Ioànni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccàvi nimis cogitatióne, verbo, & opere: *Percutit sibi pectus ter, dicens:* mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor Beàtam Mariam semper virginem, beàtum Michaélem Archàngelum Beàtum Joànnem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum omnes Sanctos, & vos fratres, oràre pro me ad Dóminum DEUM nostrum.

Ministri respondent:

MIsereàtur tui omnipotens Deus, & dimissis peccàtis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Sacerdos dicit, Amen. *Et erigit se. Deinde ministri repetunt Confessionem: & ubi á Sacerdote dicebatur,* vobis fratres, & vos fratres *á ministris dicitur,* tibi Pater & te Pater. *Postea Sacerdos junctis manibus facit absolutionem, dicens:*

MIsereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Signat se signo Crucis, dicens:

INdulgentiam, absolutionem, & remissi-

remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Et inclinatus proſequitur:

℣. Deus tu converſus vivificabis nos.
℟. Et plebs tua lætabitur in te.
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Et extendens ac jungens manus, clara voce dicit. Oremus. *& aſcendens ad Altare, dicit ſecretò:*

AUfer à nobis, quæſumus Dómine, iniquitàtes noſtras: ut ad Sancta Sanctórum puris mereàmur méntibus introire. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde manibus junctis ſuper Altare, inclinatus dicit:

ORàmus te Dómine per mérita Sanctórum tuórum.

Oſculatur Altare in medio, quorum reliquiæ hic ſunt, & ómnium Sanctorum: ut indulgére dignéris ómnia peccàta mea, Amen.

Deinde Celebrans non ſignans ſe, ſed manu dextra extenſa faciens ſignum Crucis ſuper librum, quaſi aliquem benedicens incipit Introitum; quo finito, junctis manibus alternatim cum miniſtris dicit:

KYrie eléyſon. Kyrie eléyſon. Kyrie eléyſon. Chriſte eléyſon. Chriſte eléyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eléyſon. Kyrie eléyſon. Kyrie eléyſon.

Deinde oſculatur Altare in medio, & verſus ad populum dicit:

℣. Dóminus vobiſcum
℟. Et cum ſpiritu tuo.

poſtea dicit: Orémus. *& Orationes unam aut plures, ut ordo Miſſæ poſtulat: ſequitur Epiſtola, Graduale, Tractus, cum verſu, & Sequentia; quæ Sequentia omitti poteſt, quando plures Orationes in Miſſa dicuntur. Deinde delato Miſſali ad cornu Evangelij, inclinatus in medio junctis manibus, dicit:*

MUnda cor meum ac làbia mea, omnipotens Deus, qui làbia Iſajæ Prophetæ càlculo mundàſti ignito, ita me tua grata miſeratióne dignàre mundàre, ut ſanctum Evangéliū tuum digné vàleam nuntiàre Per Chriſtum Dòminum.

Deinde converſus ad librum, junctis manibus dicit,

℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. *et pronuntians,* Sequéntia ſancti Evangélij. ſecúndùm Joànnem;

pollice dextræ manus ſignat librum in principio Evangelij, quod lecturus eſt; deinde ſe in fronte, ore & pectore; & reſpondetur,

Gloria tibi Domine:

& legit Evangelium quo finito, reſpondet miniſter,

Laus tibi Chriſte:

& immediatè oſculatur Altare, & verſus ad populum dicit:

℣. Dòminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Poſteà dicit* Orémus *& Offertorium. Quo dicto accipit patenam cum Hoſtia, quam offerens, dicit:*

SUſcipe ſancte Pater, omnipotens ætérne Deus, hanc immaculàtam Hóſtiam, quam ego indignus fàmulus tuus óffero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccàtis, & offenſiónibus & negligentiis meis & pro ómnibus circumſtantibus, ſed & pro ómnibus fidélibus Chriſtiànis vivis atque defúnctis: ut mihi & illis proficiat ad ſalútem in vitam ætérnam Amen.

Deinde faciens Crucem cum eadem patena, deponit Hoſtiam ſuper corporale. Et mittens vinum in Calicem, & aquam, non tamen benedicens eam, dicit:

DEus, qui humànæ ſubſtàntiæ dignitàtem mirabiliter condidiſti, & mirabiliús reformàſti: da nobis per hujus aquæ & vini myſterium ejus divinitàtis eſſe consórtes, qui humanitàtis noſtræ fieri dignàtus eſt pàrticeps Jeſus Chriſtus Filius tuus Dóminus noſter: Qui tecum vivit & regnat in unitàte Spiritûs ſancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum Amen.

poſteá accipit Calicē, et offert dicens:

OFférimus tibi Dómine càlicem ſalutàris, tuam deprecàntes cleméntiam: ut in conſpéctu divinæ Majeſtàtis tuæ pro noſtra & totius mundi ſalúte cum odóre ſvavitàtis aſcéndat. Amen.

Deinde facit ſignum Crucis cum Calice, & illum ponit ſuper corporale, & pallâ cooperit: tum junctis manibus ſuper Altare, aliquantulùm inclinatus dicit:

IN ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur à te Domine: & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpéctu tuo hódie, ut placeat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, eaſque in altum porrectas jungens, elevatis ad cœlū oculis, et ſtatim demiſſis, dicit:

VEni ſanctificator omnipotens æterne Deus: *Benedicit oblata proſequendo,* & bene✠dic hoc ſacrificium tuo Sancto nomini præparàtū.

Poſteà, ſi ſolemniter celebrat, benedicit incenſum, dicens

PEr interceſſiónem beàti Michaélis Archàngeli ſtantis à dextris altàris incénſi, & ómnium electórum ſuórum, incénſum iſtud dignétur. Dóminus bene ✠ dicere, & in odórem ſvavitàtis accipere. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Et accepto thuribulo á Diacono, incenſat oblata, modo, in Rubricis generalibus præſcripto, dicens:

INcénſum iſtud à te benedictum, aſcéndat ad te Dómine, & deſcéndat ſuper nos miſericórdia tua.

Deinde incenſat Altare, dicens:

DIrigàtur Dómine oràtio mea, ſicut incénſum in conſpectu tuo: elevàtio mànuum meàrum ſacrificium veſpertinum. Pone Dómine cuſtódiam ori meo, & óſtium circumſtàntiæ labiis meis ut nō declinet cor meum in verba malitiæ, ad excuſàndas excuſatiónes in peccàtis.

Dum reddit thuribulū Diacono dicit:

ACcéndat in nobis Dóminus ignem ſui amóris, & flammam ætérnæ charitàtis. Amen. *Poſteá incenſatur Sacerdos ſolus á Diacono. Deinde lavat manus, dicens:*

LAvábo inter innocéntes manus meas: & circúmdabo altáre tuum Dómine:
Ut àudiam vocem laudis: & enàrrem univérsa mirabilia tua. Dómine diléxi decórem domûs tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ.
Ne perdas cum impiis Deus ànimam meam: & cum viris sanguinum vitam meam:
In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.
Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.
Pes meus stetit in dirècto: in Ecclésiis benedicam te Domine.

Non dicitur Glória Patri. *Deinde aliquantulū inclinatus in medio Altaris, junctis manibꝰ super eo dicit:*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis, Jesu Christi Domini nostri: & in honóre beatæ Mariæ semper virginis, & beati Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, & omniū Sanctórum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem: & illi pro nobis intercédere dignéntur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eúndem Christum Dominum nostrum, Amen.

Postea osculatur Altare, et versus ad populū, extendens et jungens manꝰ voce paululum elevata dicit:

ORate fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Minister, seu circumstantes respondent: alioquin ipsemet Sacerdos:

SUscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis (*vel* meis) ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiúsque Ecclesiæ suæ sanctæ. *Sacerdos submissa voce dicit,* Amen.

Deinde manibus extensis absolutè sine Oremus, subjungit Orationes secretas. Quibus finitis, cùm pervenerit ad conclusionem, clara voce dicit, Per omnia sæcula sæculorum. *cum Præfatione sequenti. Præfatio incipitur ambabus manibus positis hinc inde super Altare: quas aliquantulum elevat, cúm dicit,* Sursum corda. *Jungit eas ante pectus, et caput inclinat, cúm dicit,* Gratias agamus Domino Deo nostro. *Deinde disjungit manꝰ, et disjunctas tenet usque ad finē Præfationis quâ finitâ, iterum jungit eas, et inclinatus dicit* Sanctus. *Et cúm dicit,* Benedictus qui venit; *signū Crucis sibi producit a fronte ad pectꝰ.*







SANCTUS SANCTUS SANCTꝰ DOMINUS DEUS SABBAOTH. PLENI SUNT CÆLI ET TERRA GLORIA TUA. HOSANNA IN EXCELSIS. BENEDICTUS, QUI VENIT IN NOMINE DOMINI. HOSANNA IN EXCELSIS.



Mihi vivere, Christus est; et mori, lucrum. Ad Philipp. C. 1. V. 21.

I. Filipowicz sc. Leopoli.

CANON MISSÆ PRO DEFUNCTIS

Sacerdos extendens & iungens manus, elevans ad cœlum oculos, & statim demittens, profundè inclinatus ante Altare manibus super eo positis, dicit:

TE igitur, clementissime Pater, per JESUM CHRISTUM Filium tuum Dominum nostrum, súpplices rogamus ac pétimus, *Osculatur Altare,* uti accepta habeas, & benedicas, *Jungit manus. deinde signat ter super oblata:* Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta Sacrificia illibata, *Extensis manibus prosequitur;* in primis quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta Cathólica: quam pacificáre, custodire, adunáre, & régere dignéris toto Orbe terrárum: unà cum fámulo tuo Papa nostro *N.* & Antistite nostro *N.* & ómnibus Orthodóxis, atque Cathólicæ & Apostolicæ fidei cultóribus.

Commemoratio pro vivis

MEmento Domine famulorum famularúmque tuárum *N.* & *N.*

Jungit manus, orat aliquantulùm pro quibus orare intendit: deinde manibus extensis prosequitur:

Et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnita est, & nota devótio, pro quibus tibi offérimus: vel qui tibi ófferunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suísque ómnibus: pro redemptione animárum suárum, pro spe salútis & incolumitátis suæ: tibique reddunt vota sua æterno DEO, vivo & vero.

Infra actionem.

COmmunicántes, & memóriam venerántes, in primis gloriosæ, semper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi: sed & beatorum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri & Pauli, Andréæ, Jacobi, Joánnis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis & Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélij, Cypriàni, Laurèntij Chrysògoni, Joánnis & Pauli, Cosmæ & Damiáni: & omnium Sanctorum tuórum: quorum meritis precibúsque concédas, ut in ómnibus protectionis tuæ muniámur, auxilio. *Jungit manus.* Per eúndem Christum Dominum nostrum, Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

HAnc ìgitur oblationem ſervitútis noſtræ, ſed & cunctæ famìliæ tuæ, quæſumus Domine, ut placátus accìpias: diéſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, & in electórum tuòrum júbeas grege numerári. *Jungit manus.* Per Chriſtum Dominum noſtrum,
Amen.

QUam oblatiònem tu DEUS in omnibus, quæſumus, *Signat ter ſuper oblata,* bene ✠ dictam, adſcrì ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilèmque facere digneris: *Signat ſemel ſuper Hoſtiã, & ſemel ſuper Calicem:* ut nobis Cor ✠ pus, & San ✠ gvis fiat dilectiſſimi Filii tui Dómini noſtri JESU Chriſti.

QUi pridie quàm pateretur, *Accipit Hoſtiam:* accepit panẽ in ſanctas ac venerabiles manus ſuas: *Elevat oculos ad cœlum:* & elevátis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem: tibi gratias agens, *Signat ſuper Hoſtiam:* bene ✠ dixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hoſtiam inter indices & pollices, profert verba conſecrationis ſecretè, diſtinctè, & attentè.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Prolatis verbis conſecrationis, ſtatim Hoſtiã conſecratam genuflexus adorat: ſurgit, oſtendit populo, reponit ſuper Corporale, iterum adorat: & non disjungit pollices & indices, niſi quando Hoſtia tractanda eſt, uſque ad ablutionem digitorum.

Tunc detecto Calice dicit:

SImili modo poſt quam cœnátum eſt, *Ambabus manibus accipit Calicem,* accipiens & hunc præclarum Cálicem in ſanctas ac venerábiles manus ſuas: item tibi grátias agens, *Siniſtrâ tenens Calicem, dexterâ ſignat ſuper eum,* bene ✠ dixit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes.

Profert verba conſecrationis ſecretè ſuper Calicem, tenens illum parùm elevatum.

HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI & ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS & PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Prolatis verbis conſecrationis, deponit Calicem ſuper Corporale, & dicens ſecretè: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam faciétis. *Genuflexus adorat: ſurgit, oſtendit populo, deponit, cooperit, & iterùm adorat.*

Deinde disjunctis manibus dicit.

UNde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem, Chriſti Filii tui Dómini noſtri tam beátæ paſſiónis: nec non & ab inféris reſurrectionis, ſed & in cœlos glorioſæ aſcenſionis: offerimus præcláræ Maieſtáti

jeſtati tuæ de tuis donis ac datis, *Jungit manus, & ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul,* Hoſtiam ✠ puram, hoſtiam ✠ Sanctam, hoſtiã ✠ immaculatam, *Signat ſemel ſuper Hoſtiam, & ſemel ſuper Calicem:* Panem ✠ Sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ ſalutis perpetuæ.

Extenſis manibus proſequitur.

SUpra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris: & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ: & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſédech, ſanctum ſacrificium, immaculatam Hoſtiam.

Profundè inclinatus junctis manibus, & ſuper Altare poſitis dicit:

SUpplices te rogamus, omnipotens DEUS: jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ: ut quotquot, *Oſculatur Altare,* ex hac altaris participatione, ſacroſánctum Filii tui, *Jungit manus, & ſignat ſemel ſuper Hoſtiam, & ſemel ſuper Calicem,* Cor ✠ pus, & Sán ✠ guinem ſumpſerimus, *Seipſum ſignat,* omni benedictione cœleſti & gratiâ repleamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen,

Commemoratio pro Defunctis.

MEmento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum *N.* & *N.* qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. *Jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit; deinde extenſis manibus proſequitur:* Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecámur. *Jungit manus, & caput inclinat.* Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Manu dextera percutit ſibi pectus, elata parum voce dicens:

NObis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem áliquam & ſocietatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apoſtolis & Martyribus: cum Joanne, Stephano, Mathia, Bárnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felìcitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anaſtaſia, & omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos conſortium, non æſtimátor meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. *Jungit manus.* Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PEr quem hæc omnia. Domine, ſemper bona creas, *Signat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul, dicens,* ſancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præſtas nobis. *Diſcooperit Calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dexterâ, tenens ſiniſtrâ Calicem: ſignat cum Hoſtia ter á labio ad labium Calicis, dicens:* Per ip ✠ ſum, & cum ip ✠ ſo, & in ip ✠ ſo, *bis ſignat inter Calicem & pectus,* eſt tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritûs ✠ ſancti,

Elevans parum Calicem cum Hostia, dicit, omnis honor & gloria. *Reponit Hostiam, cooperit Calicem, genuflectit, surgit & dicit:*

P Er o mnia sæcu la sæcu -

lo rum. ℟. Amen. *Iungit manus*

O re m u s. Præ ceptis sa lu-

tari bus mo ni ti. & di vi na

in sti tuti o ne formásti, au

démus di ce re. *Extendit manus*

P A ter noster qui es i n cœ-

lis. Sancti fi cétur nomen tuum.

Ad veni at regnum t u u m. Fi at

voluntas tua, sicut in cœlo

& in terra. Pánem nostrum quo-

ti di á num da nobis hó d ie.

Et dimit te nobis dé bi ta no-

stra sicut & nos di mit timus de-

bi to ribus nostris. Et ne nos

in du cas in tentati ó nem.

℟. Sed lìbe ra nos à ma lo.

Sacerdos submissa voce dicit, Amen.

Deinde accipit Patenam inter indicem & medium digitos, & dicit:

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beáta & gloriosa semper virgine

gine Dei genitrice Maria, cum beátis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, *Signat se cum Patena à fronte ad pectus, & eam osculatur:* da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

Submittit Patenam Hostiæ, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium, dicens: Per eundém Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *Partem, quæ in dextera est, ponit super patenam. Deinde ex parte quæ in sinistra remansit, frangit particulam, dicens:* Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs Sancti Deus.

Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super Patenam, & dexterâ tenens particulam super Calice, sinistrâ Calicem, dicit:

P er ó mni a sæ cu la sæ cu-

ló rum, ℟. A men.

Cum ipsa particula signat ter super Calicem, dicens:

Pax ✠ Do mi ni, sit ✠ semper vo-

bis✠cum. ℟. Et cum spiri-

tu t u o.

Particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secretè:

HÆc commixtio & consecratio Corporis & Sánguinis Domini nostri JESU Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.

Cooperit Calicem, genuflectit, surgit, & inclinatus Sacramento, junctis manibus, dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona eis requiem sempiternam.

Deinde junctis manibus super Altare, inclinatus dicit sequentes Orationes.

DOmine JESU Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosánctum Corpus & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & universis malis: & fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te numquam separari permittas: Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum Amen.

PErceptio Corporis tui, Domine JESU Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum, Amen.

Genuflectit, surgit, & dicit:

PAnem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiæ inter pollicem & indicem sinistræ manûs, & Patenam inter eumdem indicem & medium, & dexterâ percutiens pectus, elevata aliquantulum voce dicit ter devotè & humiliter:

DOmine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanábitur ánima mea.

Posteá dextrâ se signans cum Hostia super Patena, dicit:

COrpus Domini nostri JESU Christi custodiat ánimam meam in vitam æternam, Amen.

Sumit reverenter ambas partes Hostiæ, jungit manus, & quiescit aliquantulum in meditatione Sanctissimi Sacramenti. Deinde discooperit Calicem, genuflectit, colligit fragmenta, si quæ sint, extergit Patenam super Calicem, interim dicens:

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutáris accipiam, & nomen Domini invocábo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

Accipit Calicem manu dexterâ, & eo se signans dicit:

SAnguis Domini nostri JESU Christi custodiat ánimam meam in vitam æternam, Amen.

Sumit totum Saguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet, antequã se purificet. Posteá dicit:

QUod ore sumpsimus Domine, pura mente capiámus: & de múnere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Interim porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat: deinde prosequitur.

COrpus tuum Domine, quod sumpsi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis: & præsta, ut in me non remáneat scelerum macula, quem pura & sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorũ, Amen.

Abluit digitos extergit, & sumit ablutionem: extergit os, & Calicem, quem operit, & plicato Corporali, collocat in Altari ut prius: deinde prosequitur Missam.

Dicto, post ultimam Orationem, Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Dicit ℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

In Missis solemnibus hoc tono cantatur.

Requiescant in pace.

Deinde Sacerdos inclinat se ante medium Altaris, & manibus junctis super illud, dicit:

PLáceat tibi sancta Trinitas, obsequium servitútis meæ, & præsta: ut sacrificium, quod óculis tuæ majestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihique, & ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miserànte, propitiábile. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde osculato Altári, dicto in cornu Evangelij Dóminus vobiscum, & Initium sancti Evangélij, *signans Altare, vel librum, & se, ut suprà in Evangelio Missæ, legit Evangelium* secúndùm Joánnem.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebus lucet, & tenebræ eam non comprehendêrunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes crêderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognóvit. In própria venit, & sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine *ejus*: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitávit in nobis: & vidimus glóriam *ejus*, glóriam quasi unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℟. Deo grátias.

Finito Evangelio sancti Joannis, discedens ab Altari, pro gratiarum actione dicit Antiphonam, Trium puerorum. *cum reliquis.*

MISSÆ PROPRIÆ PRO DEFUNCTIS,

IN COMMEMORATIONE
Omnium fidelium Defunctorum.

Introitus.

R Equiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis
64. *Psalmus.* Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam ad te omnis caro véniet.

Deinde absolutè repetitur, Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis.

Oratio

F Idélium Deus ómnium cónditor & redemptor, animábus famulorum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

F Ratres, Ecce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mórtui resúrgent incorrúpti: & nos immutábimur. Opórtet enim corruptibile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est mors victória tua? ubi est mors stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est: virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Graduale. Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis.

℣. In memória ætérna erit *justus*: ab

auditióne mala non timébit.

Tractus. Absólve Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum.

℣. Et grátiâ tuâ illis succurrénte, mereántur evádere judicium ultiónis.

℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia.

D Ies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sibilla.
Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est ventúrus,
Cuncta strictè discussúrus!
Tuba mirum spargens sonum
Per sepúlchra regiónum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupébit, & natúra,
Cùm resúrget creatúra,
Judicánti responsúra.
Liber scriptus proferétur,
In quo totum continétur,
Unde mundus judicétur,
Judex ergo cùm sedébit,
Quidquid latét, apparèbit:
Nil in últum remanèbit.
Quid sum miser tunc dictúrus?
Quem patrónum rogatúrus?
Cùm vix justus sit secúrus.
Rex treméndæ majestátis,
Qui salvándos salvas gratis,
Salva me fons pietátis.
Recordáre Iesu pie,
Quòd sum causa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me, sedisti lassus:
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.
Juste Judex ultiónis,
Donum fac remissiónis:
Ante diem ratiónis.
Ingemisco, tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latrónem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perénni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hœdis me sequèstra,
Státuens in parte dextra.
Confutátis maledictis,
Flammis ácribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis;
Gere curam mei finis.
Lacrymósa dies illa,
Qua resúrget ex favilla
Iudicándus homo reus.
Huic ergo parce Deus,
Pie Iesu Domine,
Dona eis réquiem, Amen.

Sequentia sancti Evangélii secundùm Joannem.

I N illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui áudient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habére vitam in semetipso, & potestatem dedit ei Judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora

hora, in qua omnes, qui in monuméntis ſunt, áudient vocem Filii Dei: & procédent, qui bona fecerunt, in reſurrectiónem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

Offertorium. Dómine JESU Chriſte, Rex glóriæ, libera ánimas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profúndo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tártarus, ne cadant in obſcùrum: ſed ſignifer ſanctus Michael repræſéntet eas in lucem ſanctam: * Quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus.

℣. Hóſtias & preces tibi, Domine laudis offerimus: tu ſúſcipe pro animábus illis, quarum hodie memoriam fácimus: fac eas Domine de morte tranſire ad vitam. Quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus.

Secreta.

Hoſtias, quæſumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuárum offérimus, propitiatús intende: ut quibus fidei Chriſtianæ meritum contuliſti, donis & præmium. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Communio. Lux æterna lúceat eis Domine, * Cum ſanctis tuis in æternum: quia pius es. ℞. Requiem æternam dona eis Domine: & lux pérpetua luceat eis. Cum ſanctis.

Poſtcommunio

Animabus, quæſumus, Domine, famulorum, famularumque tuarum, oratio proficiat ſupplicantium: ne eas & à peccatis omnibus exuas, & tuæ redemptionis facias eſſe participes. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c: *Dicto* Dominus vobiscum, *dicitur* Requieſcant in pace. ℞: Amen. *& non datur benedictio: ſed dicto ſecretò*, Placeat tibi Sancta Trinitas, *& oſculato Altari, legitur Evangelium Sancti Ioannis*, In principio erat Verbum: *ut moris eſt.*

IN DIE OBITUS, *ſeu depoſitionis defuncti.*

Introitus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Pſalm: 64.

Te decet hymnus DEUS in Sion, & tibi reddetur votum in Jeruſalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

ORATIO

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: te ſupplices exoramus pro anima famuli tui *N.* quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti: ut non tradas eam in manus inimici, neque oblíviſcaris in finem, ſed jubeas eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad patriam paradiſi perduci; ut, quia in te ſperávit & credidit, non pœnas inférni ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſſideat. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℞: Amen.

Lectio Epiſtolæ beáti Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Fratres: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.

Graduale. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

℣: In memoria æterna erit juſtus: ab auditione mala non timebit.

Tractus. Abſolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum.

℣: Et gratiâ tuâ illis ſuccurrente, mereantur evadere judicium

ultionis. ℣: Et lucis æternæ beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies iræ, &c: *ut ſupra.*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Ioánnem.

In illo tempore: Dixit Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio, quia quæcùmque popóſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Ieſus: Reſúrget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die. Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiam ſi mórtuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non moriétur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Dómine, ego crédidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.

Offertorium. Domine IESU Chriſte, Rex gloriæ, libera animas omnium fidélium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tàrtatus, ne cadant in obſcurum: ſed ſignifer ſanctus Michael repræſéntet eas in lucem ſanctam: *Quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus.

℣: Hoſtias & preces tibi Domine, laudis offerimus: tu ſuſcipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas Domine de morte tranſire ad vitam. Quam olim.

Secreta.

Propitiáre, quæſumus Domine ánimæ famuli tui *N.* pro qua hoſtiam laudis tibi immolamus, majeſta-

majeſtatem tuam ſuppliciter deprecantes: ut per hæc piæ placationis officia, pervenire mereatur ad réquiem ſempitérnam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Communio. Lux æterna luceat eis Domine, * Cum ſanctis tuis in æternum: quia pius es. ℣: Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Cum ſanctis.

Poſtcommunio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus: ut ánima fámuli tui *N:* quæ hodie de hoc ſæculo migrávit, his ſacrificiis purgata, & à peccatis expedita, indulgentiam pariter & requiem capiat ſempiternam. Per Dominum noſtrum.

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo depoſitionis defuncti, dicitur Miſſa ut ſupra, exceptis Orationibus, quæ dicuntur ut infrà.

ORATIO.

Quæſumus Domine, ut ànimæ famuli tui *N:* cujus depoſitionis diem tertium, (*vel* ſeptimum, *vel* trigeſimum,) commemoràmus, ſanctorum, atque electorum tuorum largiri digneris conſortium: & rorem miſericordiæ tuæ perennem infundas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Secreta.

Munera, quæſumus Domine, quæ tìbi pro ánima famuli tui *N:* Offerimus, placátus intende: ut remediis purgata cœleſtibus, in tua pietate requieſcat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

Suſcipe, Domine, preces noſtras pro ánima famuli tui, *N:* ut ſi quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæſerunt, remiſſionis tuæ miſericordia deleantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

IN ANNIVERSARIO

Defunctorum. Introitus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

64. Pſalm: Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddétur votum in Ieruſálem: exáudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Oratio.

DEUS indulgentiàrum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟: Amen.

Lectio libri Machabæorum.

In diebus illis: Vir fortiſſimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperàret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro

mortuis) & quia conſiderábat, quòd hi, qui cum pietàte dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur.

Graduále.

Requiem æternam dona éis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣: In memoria æterna erit juſtus: ab auditione mala non timebit.

Tractus. Abſolve, Domine, ánimas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣: Et grátiâ tuâ illis ſuccurrente, mereántur evádere judicium ultionis. ℣: Et lucis æternæ beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies iræ, &c: *ut ſupra.*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Ioánnem.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: quia deſcendi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam, ſed voluntátem ejus, qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, hábeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

Offertorium. Domine Ieſu Chriſte, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum: ſed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam: * Quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius. ℣: Hoſtias & preces tibi Domine, laudis offerimus: tu ſuſcipe pro animábus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas Domine de morte tranſire ad vitam. Quam olim.

Secreta.

Propitiáre Domine ſupplicatiónibus noſtris, pro animábus famulorum famularumque tuárum, quorum hodie ánnua dies agitur, pro quibus tibi offerimus ſacrificium laudis: ut eas Sanctorum tuorum conſortio ſociáre digneris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Communio. Lux æterna luceat eis Domine, * Cum ſanctis tuis in æternum: quia pius es. ℣: Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Cum ſanctis.

Poſtcommunio.

Præſta quæſumus Domine, ut ánimæ famulorum famularúmque tuárum, quorum anniverſarium depoſitionis diem commemoràmus, his purgátæ ſácrificiis, indulgentiam páriter & requiem cápiant ſempiternam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum

regnat in unitáte Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Si pro uno fiat anniverſarium, prædictæ orationes dicantur in ſingulari numero.

IN MISSIS.

quotidianis Defunctorum.

Introitus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Pſalmus. 64. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ieruſalem: exáudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Pro defunctis Epiſcopis, seu Sacerdotibus, Oratio.

DEUS, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes, fámulos tuos Pontificali, ſeu ſacerdotáli, feciſti dignitáte vigere, præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur conſórtio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus, Oratio.

DEUS, veniæ largitor, & humánæ ſalutis amátor: quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ congregationis fratres, propínquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt; Beáta Maria virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſórtium pervenire concedas.

Pro fidelibus defunctis generalis Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animábus famulorum famularúmque tuárum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequántur. Qui vivis & régnas cum Deo Patre, in unitáte Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Lectio libri Apocalypſis beáti Ioánnis Apoſtoli.

In diebus illis: Audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beáti mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, ópera enim illórum ſequúntur illos. *Graduale.*

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

℣. In memoria æterna erit juſtus: ab auditióne mala non timebit. *Tractus.*

Abſólve, Domine, ánimas omnium fidelium defunctórum ab omni vinculo delictorum.

℣. Et gratia tua illis ſuccurrente, mereántur evádere judicium ultionis.

℣. Et lucis æternæ beatitudine perfrui.

Sequentia ad arbitrium Sacerdotis, niſi una tantùm dicta ſit Oratio.

Dies iræ, &c: *ut Supra.*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Ioánnem.

IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis judæorum: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: & panis, quem ego dabo, cáro mea eſt pro mundi vita. Litigábant ergo judæi ad invicem, dicéntes: Quómodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducándum? Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducavéritis carnem Filii hóminis, & bibéritis ejus ſánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat méam carnem, & bibit meum ſánguinem, hábet vitam æternam: & ego reſuſcitábo eum in noviſſimo die.

Offertorium. Dómine Ieſu Chriſte, Rex gloriæ, libera ánimas omnium fidélium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera éas de ore leonis, ne abſórbeat eas tártarus, ne cadant in obſcúrum: ſed ſignifer ſánctus Michael repræſéntet eas in lucem ſánctam: * Quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus.

℣. Hoſtias & preces tibi Dómine, laudis offérimus: tu ſuſcipe pro animabus illis, quarum hódie memóriam facimus: fac eas Dómine de morte tranſire ad vitam. Quam olim Abrahæ promiſiſti & ſémini ejus.

Pro defunctis Epiſcopis, ſeu Sacerdotibus. Secreta.

SUſcipe, Dómine quæſumus, pro animabus famulórum tuórum Pontificum, ſeu ſacerdótum, quas offérimus hoſtias: ut quibus in hoc ſæculo Pontificale, ſeu ſacerdotale donaſti méritum, in cœléſti regno Sanctórum tuórum jubeas jungi conſórtio. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus. Secreta.

DEUS, cujus miſericórdiæ non eſt númerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ: & animabus fratrum, propinquorum & benefactórum noſtrórum, quibus tui nóminis dediſti confeſſiónem, per hæc ſacraménta ſalútis noſtræ, cunctórum remiſſiónem tribue peccatorum.

Pro omnibus fidelibus defunctis, Secreta.

HOſtias, quæſumus Dómine, quas tibi pro animabus famulórum famularúmque tuarum offerimus, propitiatus intende: ut quibus fidei Chriſtianæ méritum contuliſti, dones & præmium. Per Dominum noſtrum.

Communio. Lux æterna luceat éis Dómine, * Cum ſanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

F

℟. Re-

℟: Réquiem ætérnam dona eis Domine: & lux perpétua lúceat eis. Cum ſanctis.

Pro defunctis Epiſcopis, ſeu Sacerdotibus. Poſtcommunio.

PRoſit, quæſumus Dómine, animabus famulórum tuórum Pontificum, ſeu ſacerdótum, miſericórdiæ tuæ implorata clementia: ut ejus, in quo ſperavérunt & credidérunt, æternum cápiant te miſeránte conſórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus.

Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus, omnipotens & miſericors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum & benefactórum noſtrórum, pro quibus hoc ſacrificium laudis, tuæ obtúlimus Majeſtati: per hujus virtútem Sacraménti à peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miſeránte, recipiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Poſtcommunio.

ANimábus, quæſumus Domine, famulórum famularúmque tuárum orátio proficiat ſupplicantium: ut eas & à peccátis ómnibus éxuas, & túæ redemptiónis facias eſſe participes. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Epiſtolæ & Evangelia ſuperius poſita in una Miſſa pro Defunctis, dici poſſunt etiam in alia Miſſa ſimiliter pro Defunctis.

ORATIONES DIVERSÆ PRO DEFUNCTIS.

In die depoſitionis, & anniverſario ſummi Pontificis, dicitur prima Miſſa ut ſupra, fol: 23. *præter Orationes, quæ dicuntur ut infrà.*

ORATIO.

DEUS, qui inter ſummos Sacerdótes famulum tuum N: ineffábili tua diſpoſitióne connumerári voluiſti: præſta quæſumus; ut qui unigéniti Filii tui vices in terris gerébat, ſanctórum tuórum Pontificum conſórtio perpétuo aggregetur. Per eúmdem Dominum noſtrum.

Secreta.

SUſcipe, Domine quæſumus, pro ánima famuli tui N: ſummi Pontificis, quas offerimus hoſtias: ut cui in hoc ſæculo Pontificale donáſti méritum, in cœleſti regno Sanctórum tuorum jubeas jungi conſórtio. Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

PRoſit, quæſumus Domine, ánimæ famuli tui N: ſummi Pontificis, miſericordiæ tuæ implorata cleméntia: ut ejus, in quo ſperávit & credidit, æternum cápiat, te miſeránte conſórtium. Per Dominum noſtrum.

Pro defuncto Epiſcopo dicitur prima Miſſa, ſuprà 23. *Orationes verò ut infrà.* *Oratio.*

DEUS, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes, famulum tuum, N: Pontificali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Dominum noſtrum.

Secreta

Secreta.

SUſcipe, Domine quæſumus, pro anima famuli tui, N: Pontificis, quas offerimus hoſtias: ut cui in hoc ſæculo Pontificale donaſti meritum, in cœleſti regno Sanctorum tuorum jubeas jungi conſortio, Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

PRoſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui, N: Pontificis, miſericordiæ tuæ implorata clementia: ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat, te miſerante, conſortium. Per Dominum.

Pro Epiſcopo Cardinali defuncto.

Oratio.

DEUS, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes, famulum tuum, N: Epiſcopum Cardinalem Pontificali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Dominum.

Secreta.

SUſcipe, Domine quæſumus, pro anima famuli tui, N: Pontificis Cardinalis, quas offerimus hoſtias: ut cui in hoc ſæculo Pontificale donaſti meritum, in cœleſti regno Sanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

PRoſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui, N: Pontificis Cardinalis, miſericordiæ tuæ implorata clementia: ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat, te miſerante, conſortium. Per Dominum noſtrum.

Pro Presbytero Cardinali defuncto.

Oratio.

DEUS, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes, famulum tuum, N: Presbyterum cardinalem ſacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SUſcipe, Domine quæſumus, pro anima famuli tui, N: Presbyteri Cardinalis, quas offerimus hoſtias: ut cui in hoc ſæculo ſacerdotale donaſti meritum, in cœleſti regno Sanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

PRoſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui, N: Presbyteri Cardinalis, miſericordiæ tuæ implorata clementia: ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat, te miſerante conſortium. Per Dominum noſtrum.

Pro Diacono Cardinali defuncto.

ORATIO.

INclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur: ut animam famuli tui, N: Diaconi Cardinalis, quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas; & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

ANnue nobis, quæſumus Domine, ut animæ famuli tui, N: Diaconi Cardinalis, hæc

profit

profit oblatio: quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

ABsolve, quæsumus Dómine, ánimam famuli tui *N:* Diáconi Cardinális ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria, inter sanctos & electos tuos resuscitátus respiret. Per Dominum nostrum.

Pro defuncto Sacerdote. Orátio.

DEUS, qui inter Apostolicos sacerdótes, famulum tuum *N:* sacerdotali fecisti dignitáte vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SUscipe, Dómine quæsumus, pro ánima famuli tui N: sacerdótis, quas offérimus hostias: ut cui in hoc sæculo sacerdotále donásti méritum, in cœlesti regno Sanctorum tuorum *j*ubeas *j*ungi consortio. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PRosit, quæsumus Domine, ánimæ famuli tui *N:* sacerdotis, misericordiæ tuæ imploráta clementia: ut e*j*us, in quo sperávit & credidit, æternum cápiat, te miseránte consórtium. Per Dominum.

Si fuerint plures, dicatur ut supra in iv: *Missa:* fol: 29.

Pro defuncto Episcopo, alia Oratio.

DA nobis, Domine, ut ánimam famuli tui, *N:* Episcopi, quam de hu*j*us sæculi eduxisti laborioso certámine, Sanctorum tuorum tribuas esse consortem. Per Dominum.

Secreta.

ANnue nobis, quæsumus Domine, ut ánimæ famuli tui *N:* Episcopi hæc profit oblátio: quam immolando, totius múndi tribuisti relaxári delicta. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

HIs sacrificiis, quæsumus omnipotens Deus, purgáta ánima famuli tui *N:* Episcopi, ad indulgentiam & refrigerium sempiternum pervenire mereátur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro defuncto Sacerdote.

Et possunt dici pro pluribus in numero plurali. Oratio.

PRæsta, quæsumus Domine, ut ánima famuli tui *N:* sacerdotis, quem in hoc sæculo commorántem sacris munéribus decorasti, in cælesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Secreta.

SUscipe, Domine quæsumus, pro ánima famuli tui Sacerdotis, quas offerimus hostias: ut cui sacerdotale donasti meritum, dones & præmium. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, ut ánimam famuli tui *N:* sacerdotis in congregatione *j*ustorum, æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuũ.

Pro

Pro uno defuncto.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuã supplices deprecámur: ut ánimam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare *j*ussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ANnue nobis, quæsumus Domine, ut animæ famuli tui hæc profit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

ABsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum nostrum.

Pro una defuncta. Oratio.

QUæsumus Domine, pro tua pietate miserere ánimæ famulæ tuæ: & à contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis pártem restitue. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuũ.

Secreta.

HIs sacrificiis, quæsumus Domine, anima famulæ tuæ à peccatis omnibus exuatur, sine quibus à culpa nemo liber extitit: ut per hæc piæ placationis officia, perpetuam misericórdiam consequatúr. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Postcommunio.

INveniat, quæsumus Domine, anima famulæ tuæ lucis æternæ consortium: cu*j*us perpetuæ misericordiæ consecuta est Sacramentum. Per Dominum nostrum.

Pro patre & matre Sacerdotis.

Oratio.

DEUS, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris & matris meæ, eorumq; peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Secreta.

SUscipe sacrificium, Domine, quod tibi pro animabus patris & matris meæ offero: eisque gaudium sempiternum in regione vivorum concede: meque cum illis felicitati Sanctorum con*j*unge. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Postcommunio.

CŒlestis participatio Sacramenti, quæsumus Domine, animabus patris & matris meæ requiem, & lucem obtineat perpetuam: meque cum illis gratia tua coronet æterna. Per Dominũ nostrũ Iesum Christum Filium tuum.

Si pro patre tantùm, vel matre tantùm dicitur in singulari.

ORATIO.

DEUS, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti: miserere clementer ánimæ patris mei (*vel* matris meæ) ejusque

eiuſque peccata dimitte: meque cum (*vel* eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Secreta.

SUſcipe ſacrificium, Domine, quod tibi pro ánima patris mei (*vel* matris meæ) offero: eique gaudium ſempiternum in regione vivorum concede: meque cum illo (*vel* illa) felicitati Sanctorum conjunge. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Poſtcommunio.

COeleſtis participatio Sacramenti, quæſumus Domine: ánimæ patris mei (*vel* matris meæ) requiem & lucem obtineat perpetuam: meque cum illo (*vel* illa) gratia tua coronet æterna. Per Dominum noſtrum.

Pro Defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus.

Oratio.

DEUS, veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator: quæſumus clementiam tuã, ut noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt; Beata Maria ſemper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beátitudinis conſortium pervenire concedas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Secreta.

DEUS, cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ: & animabus fratrum, propinquorum & benefactorum noſtrorum, quibus tui nominis dediſti confeſſionem; per hæc Sacramenta ſalutis noſtræ, cunctorum remiſſionem tribue peccatorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus omnipotens & miſericors Deus: ut ánimæ fratrũ, propinquorum & benefactorũ noſtrorũ, pro quibus hoc ſacrificium laudis tuæ obtúlimus majeſtati; per hujus virtutem Sacramenti à peccatis omnibus expiatæ, lucis perpetuæ, te miſerante recipiant beatitudinem. Per Dominum noſtrum.

Pro his, qui in cœmeterio requieſcunt. *Oratio.*

DEUS, cujus miſeratione ánimæ fidelium requieſcunt: famulis & famulabus tuis, & omnibus hic & ubique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum; ut à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per eúmdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Secreta.

PRo animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium catholicorum hic & ubique in Chriſto dormientium, hoſtiam, Domine, ſuſcipe benignus oblatam: ut hoc ſacrificio ſingulari, vinculis horrendæ mortis exuti, vitam mereantur æternam. Per eúmdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Poſtcom-

Poſtcommúnio.

DEUS, fidelium lumen animarum, adeſto ſupplicationibus noſtris: & da famulis, & famulabus tuis, quórum córpora hic & ubique in Chriſto requiéſcunt, refrigerii ſedem, quietis beatitúdinem, & lúminis claritatem. Per eúmdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Pro pluribus Defunctis.

Oratio.

DEUS, cui proprium eſt miſeréri ſemper & párcere: propitiáre animábus famulórum famularúmque tuárum, & ómnia eórum peccáta dimitte, ut mortalitátis vinculis ábſolutæ, tranſire mereántur ad vitam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Secreta.

ANnue nobis, quæſumus Domine, ut animabus famulórum famularúmque tuárum hæc proſit oblatio: quam immolando, totius mundi tribuiſti relaxari delicta. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Poſtcommunio.

DEUS, cui ſoli cómpetit medicinam præſtáre poſt mortem: præſta quæſumus; ut ánimæ famulórum famularumque tuárum terrénis exútæ contágiis, in tuæ redemptionis parte numeréntur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spiritus.

Alia pro pluribus Defunctis.

Oratio.

ANimabus, quæſumus Domine, famulorum famularúmque tuárum miſericordiam concéde perpetuam: ut eis proficiat in æternum, quod in te ſperaverunt & crediderunt. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum.

Secreta.

HIs, Domine quæſumus, placatus intende muneribus: & quod ad laudem tui nominis ſupplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum.

Poſtcommunio.

SUpplices Domine, pro animábus famulorum famularúmque tuárum preces effúndimus, obſecrantes: ut quidquid converſatione contraxerunt humana, & clementer indúlgeas, & in tuorum ſede lætantium conſtituas redemptorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus.

EXEQVI-

EXEQUIARUM ORDO.

C*Onstituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, & alij, qui funeri interesse debent, & in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine conveniant: ac datis certis campanæ signis, eo modo & ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo, & stolâ nigrâ, vel etiam pluviali ejusdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio aquam benedictam, ad domum defuncti unà cum alijs procedit; & ibi, si fuerit requisitus, officium defunctorum absolvit, vel totum, vel ex rationabili causa saltem primum Nocturnum cum Laudibus, & alijs Orationibus. Distribuuntur postea cerei, & accenduntur intortitia: mox ordinatur Processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus Regularis & Secularis per Ordinem, biniq; procedunt prælata Cruce, devotè Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus, inde sequuntur alij funus comitantes, & pro defuncto Deum ritè deprecantes cum silentio.*

Parochus verò antequam cadaver efferatur, illud aspergit aquâ benedictâ, mox dicit Antiph: Si iniquitates. *cũ Psal:* De profundis clamavi ad te &c: *in fine,* Requiem æternam dona ei Domine; & lux perpetua luceat ei. *Repetit Antiph: totam:* Si iniquitates, &c: *Deinde cadaver effertur, Parochusq; de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiph:* Exultabunt Domino. *& Cantores inchoant Psalmũ:* Miserere mei Deus, secundùm magnam, &c: *Clero alternatim prosequente: ac si longitudo itineris postulaverit, dicuntur Psalmi graduales.* Ad Dominum cum tribularer clamavi. *vel alij Psalmi ex Officio mortuorum; & in fine cujusq; Psalmi dicitur:* Requiem æternam dona ei Domine, &c: *qui psalmi devotè, distinctè, graviq; voce recitari debent usque ad Ecclesiam.*

Ad ingressum Ecclesiæ, repetitur Antiph: Exultabunt Domino ossa humiliata. *Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Resp: Cantore incipiente, & clero alternatim respondente, videlicet:*

SUbvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini. Suscipientes animam ejus. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: & in sinu Abrahæ Angeli deducant te. ℣: Suscipientes. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam.

Deposito feretro in medio Ecclesiæ, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare majus: si fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum altare; celebretur Missa pro defuncto.

Finita

Finitâ Missâ, Sacerdos depositâ casula, seu planetâ, & manipulo, accipit pluviale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti, cum Cruce, medius inter duos Acolythos, seu ceroferarios cum candelabris & candelis accensis: & omnes alij de Clero veniunt ordinatim in gradu suo, cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri, tum sequitur Sacerdos cum Diacono & assistente, alijsq; ministris; & factâ reverentiâ Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retrò astantibus ei à sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo, & navicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & Acolytho seu Clerico tenente librum, absolutè dicit sequentem Orationem:

NOn intres in judicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟: Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium.

LIbera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli movendi sunt & terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣: Tremens factus sum ego & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Dum ve. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Libera me.

Dum cantatur prædictum Responsorium. Sacerdos Acolytho, seu Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, & ponit in thuribulum; & finito Responsorio, Cantor cum primo choro dicit:

Kyrie eleyson. *Et secundus Chorus respondet:* Christe eleyson. *Deinde omnes simul dicunt:* Kyrie eleyson.

Mox Sacerdos dicit altâ voce, Pater noster, &c: *& secretò dicitur ab omnibus, & ipse interim accipit à Diacono vel Acolytho aspersorium aquæ benedictæ, & factâ profundâ inclinatione Cruci, quæ est ex adverso, Diacono, seu ministro genu flectente, & fimbrias pluvialis sublevante circuiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genu flectit) aspergit corpus defuncti: deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & corpus incensat, ut asperserat: postea reddito thuribulo, ei à quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho, seu alio ministro, tenente librum apertum ante se, dicit:*

℣: Et ne nos inducas in tentationem. ℟: Sed libera nos à malo. ℣: A porta inferi. ℟: Erue Domine animam ejus. ℣: Requiescat in pace. ℟: Amen. ℣: Domine exaudi orationem meam.

℞: Et clamor meus ad te veniat. ℣: Dominus vobiſcũ. ℞: Et cũ ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, te ſupplices oxoramus, pro anima famuli tui N: quam hodie de hoc ſæculo migrare *juſſiſti*, ut non tradas eam in manus inimici, neq; obliviſcaris in finem; ſed *jubeas* eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad patriam paradiſi perduci: ut quia in te ſperavit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞: Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie, &c:

Finita Oratione, corpus refertur ad ſepulchrum, ſi tunc deferendum ſit; & dum portatur, clerici cantant Antiphonam:

IN paradiſum deducant te Angeli: in tuo adventu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in civitatem ſanctam Hieruſalem: Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternã habeas requiẽ.

Cum autem pervenerit ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem.

Oremus.

DEUS, cujus miſeratione animæ Fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eiq; Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem; & quorum, quarumq; corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper, cum ſanctis tuis, ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. ℞: Amen.

Dictâ Oratione, Sacerdos aquâ benedictâ aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum.

Quod ſi corpus tunc ad ſepulturam non deferatur, omiſſo Reſponſorio, In paradiſum, &c: *& benedictione ſepulchri, ſi jam eſt benedictum, proſequatur officium, ut infra, quod nunquam omittitur, & intonet Antiphonam.*

EGo ſum reſurrectio. *Et dicitur Canticum.* Benedictus. *Et repetitur Antiphona.* Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit vivet, & omnis qui vivit & credit in me non morietur in æternum.

Poſtea Sacerdos dicit: Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. *interim corpus aſpergit.* ℣: Et ne nos inducas in tentationem. ℞: Sed libera nos à malo. ℣: A porta inferi. ℞: Erue Domine animam *ejus*. ℣: Requieſcat in pace. ℞: Amen. ℣: Domine exaudi orationem meam. ℞: Et clamor meus ad te veniat. ℣: Dominus vobiſcum. ℞: Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

FAc, quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto, *(vel famula tua defuncta)* miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat

recipiat vicem, qui, *vel* quæ, tuam in votis tenuit voluntátem: ut ſicut hic eum, *vel* eam, vera fides *junxit* fidelium turmis, ita illic eum, *vel* eam, tua miſeratio ſociet angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞: Amen.

℣: Requiem æternam dona ei Domine. ℞: Et lux perpetua lúceat ei.

℣: Requieſcat in pace. ℞: Amen.

℣: Anima *ejus*, & animæ omnium fidelium defunctorum, per miſericordiam Dei requieſcant in pace.

Deinde à ſepultura Eccleſiam, vel in Sacriſtian revertentes, dicant ſine cantu Antiphonam. Si iniquitátes. *cum Pſalmo*, De profundis, &c: Requiem æternam dona ei Domine, &c.

Si verò ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem, Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis & laudibus, dici non poteſt, dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, maximè ubi ejuſmodi viget conſvetudo; incipiendo ab Invitatorio: Regem cui omnia vivunt, Venite, &c.

Et poſtea omnia alia dicantur, quæ præſcripta ſunt dicenda poſt Officium Mortuorum, & Miſſam.

Quod ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel alia urgens neceſſitas, ut unum Nocturnum cum laudibus dici non poſſit; aliæ prædictæ Preces & Suffragia, nunquam omittantur.

Miſſa verò, ſi hora fuerit congruens, ritu pro Defunctis, ut in die obitus, præſente corpore non omittatur, niſi obſtet magna diei ſolennitas, aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat, & poſt Miſſam fiat ut ſupra.

DECRETA

DECRETA QUÆDAM IN ORDINE
AD CELEBRATIONEM MISSARUM
PRO DEFUNCTIS.

1. T*olerantur Missæ de* Requiem *in festo Duplici, quod non est de præcepto: pro voluntate
Testatorum adimplenda. Sacra Rituum Congregatio die I. Septembris 1607.

2. *Missæ privatæ pro Defunctis, seu de* Requiem *in Duplicibus de præcepto nullatenus celebrentur. Quòd si
ex Benefactorum præscripto Missæ hujus modi celebrandæ incidant in simile festum Duplex, tunc minimè
transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento
sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificij, juxta mentem eorumdem Benefactorum.*
Alexander VII. die 5. Augusti 1662. qui voluit hoc modo impleri mentem Benefactorum.

3. *Quo ad Altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata,
in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritûs Duplicis celebrandæ essent Missæ Defunctorũ ex obliga-
tione, declaravit idem* Alexander VII. die 22. Januarij 1667. *per celebrationem Missarum de festo
currenti satisfieri in junctis obligationibus, & Indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas,
animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum
ad formam dictorum privilegiorum.*

4. *Id ipsum extendit* Clemens IX. die 23. Septembris 1669. *ad Altaria pariter quidem, ast
non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus nec pro omnibus,
sed aliquo, vel aliquibus tantùm Hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandoque privilegiata,
& ad quæ Missæ non ex obligatione sed ex sola fidelium devotione celebrabuntur; ita ut animæ Chri-
sti Fidelium per Missas quæ ibidem de festo current, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possunt
sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, indulgentias per privilegia hujusmodi
concessas consequantur in omnibus & per omnia perinde, ac si Missæ Defunctorum ad formam eorum-*
5. *dem privilegiorum celebratæ fuissent.*
Porro sicut non possunt dici Missæ de Requiem *in festis ritus Duplicis sic nec in diebus, in quibus*
6. *prohibetur fieri de festo Duplici.* Sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1627.
*Anniversaria tamen, & Missæ Defunctorum cum cantu ex dispositione Testatorum quotannis
recurrente ipsorum obitûs die celebrandæ, fieri possunt in festis ritus Duplicis, tametsi dies obitus*
7. *hujusmodi in festum ritus Duplicis majoris incideret.* Alexander VII. 22. Novembris 1664.
Missæ verò Defunctorum alio certo die dicendæ. eo impedito transferuntur in sequentem. Sacra
Rituum Congregatio die 27. Septembris 1608. *vel si mavis in præcedentem, ut citiùs*
8. *defunctis consolatur.*
*Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis præsente corpore celebrari poterit;
dum tamen Conventualis Missa & Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.*
9. Rituale Romanum de Exequiis.
*In Ecclesiis autem ubi adest SS. Sacramentum expositum occasione precum 40. horarum, regula-
riter celebrari non possunt Missæ cantatæ de* Rèquiem *pro adimplenda mente Testatorum, sive Anni-
versario satisfaciendo; minùs privatæ, etiam si aliàs dies ipsa eas admittat.* Sacra Rituum Congre-
gatio die 2. Decembris 1684.

F I N I S.

Oprawę wykonał(a) Henryk Świdarski

Wrocław, dnia X 1991